

An in America attendisti ad Aves, Amphibia, Pisces,
aut insecta? Accepi nuper pulcherrima insecta ab exteris
terriss.

D. Vosmaar, Musei Principis arusiaci Hagae Praefect.
misit ad me nuper *Moehringii* opusc. de *avibus* in linguam
belgicam versum, suis observationibus illustratum.

346. n. g. *Drupa* nucleo 5 loculari. non novi aliquod ge-
nus nucleo quinqueloculari, praeterquam *Spondias*, a quo
hoc diversum.

Dicas mihi an liceat cum tabellario ad te mittere Dis-
sertationem Floram jamaicensem dictam, quae duabus con-
stat philyris; sed forte tabellarius sit Tibi nimis pretiosus
in vestra regione.

Vidisti umquam *Begoniam*? Cur hanc Rumici accenseat
Brownius? anne flores duplicis sexus? anne etiam fructus
diversus?

Turnerae species Burm. tab. 150. videtur diversa a no-
stra specie, cum Plumieri planta flores gerat pedunculatos
longissimis pedunculis.

Dorsteniae flores an vidisti vivos? an stamina numerosa?
(Tempus datae epistolae desideratur, adscriptum manu
Jacquinii: »Respondi 20. Januarii 1760.«)

5.

Botanico vero Magno DD. Nic. Jacquinio s. pl. d.
C. Linnaeus Equ.

Heri accepi donum Tuum plus quam Regium; Tot tam-
que rara Semina ego numquam vidi, minus accepi: utinam
decimum quodque germinaret, me tum Creso ditiorem dice-
rem. Ea eodem die terrae mandavi, probe inspexi, et in
memoriam mihi revocavi quot insomnes noctes diesque tran-
segisti, quot labores et ardores gustare debuisti, ut haec